

quoq; subindicabunt diuersarum partium facultates. Ut paucis agamus, distinctio partis in naturalem & artificialem omnē dubitandi ansam facile præcidet. Aliæ enim naturales existunt diuersę partes, in quas cùm insint actu, totum resoluitur: de quibus remediorum vel sensu vel saltem ratione compositorum, iam disputatum est: aliæ sunt artificiales, quæ non nisi potentia insunt, & artis accedente ministerio extoto non separantur, sed fiunt. Similare ergo diuidi quidem potest, non tamen in actu diuersas partes naturales: sed quæ insunt potentia, artificiales. Rosarum succus propri⁹ & genuinus, à quo terni superuacanei, ~~ωειημαληγι~~ secessionē fecere, nō simplex est corpus vel elementum: non imperfectè mixtum. At si mixtum perfectum, iam quatuor in se elementorum naturas, arctissimo quidem coitionis vinculo coércebit, vt tamē potestate in eas dissolui possit. Quo pacto autem peragatur dissolutio? non separatione, sed generatione. Quatuor enim naturæ elementorum, mutuis vulneribus, cùm mixtum conderetur, non

Pars alia  
naturalis,  
artificialis  
alia.

K 5 à so-